

[A 2r:] **Omnibus piis et doctis viris gubernantibus studia iuuentutis in
scholis puerilibus
S. P. D.**

Non est alia melior instituendae iuuentutis ratio, quam ordiendo a primis doctrinarum elementis, aetatem teneram his imbutam, paulatim ordine ceu 5
per gradus prouehere ad altiora ac difficiliora, et illa ipsa elementa ita proponere, ut et dictata reposcantur ab auditoribus, et auditores ipsi ad certas ex praescripto responsionum formulas assuefiant. Nam qui turbato [A 2v:] ordine protinus in medias doctrinas irruunt, initijs non perceptis, aut qui ordine inuerso fastigia petunt fundamentis non substructis operam perdunt et in 10
conatibus medijs fathiscentes concidunt.

Inprimis uero ad tuendam conseruandamque doctrinae coelestis puritatem et ad excitanda atque acuenda ingenia accommodatior institutio nulla est quam cum ea, quae tradita sunt, quasi fida deposita repetuntur et exiguntur. Exploratis enim auditorum profectibus animaduerti potest, quantum quisque retinuerit, quantum intelligat, ubi haereat, ubi aberret a uero et errantes admone- 15
ri possunt. Prodest et hoc: unam quandam simplicem et certam sequi [A 3r:] doctrinae formam ἀνάλογον fidei, et canoni doctrinae propheticæ atque apostolicæ conformem. Imo et certos loquendi modos usurpare, qui nihil habeant ambiguitatis aut obscuritatis, et consentanei sint scripturae, quod et Paulum meminimus praecipere Timotheo, ut conseruet ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαίνοντων λόγων,¹ id est ideam et formam certam. Nam dissimiles perplexi, ambigui noui, a canone scripturae et testimonijs orthodoxis, quae graui autoritate recepta et comprobata sunt, discrepantes modi loquendi inuoluunt et 20
obscurant dogmata, consensum de doctrina dirimunt, erroribus fenestram aperiunt, uoluntates disiungunt, operas et studia distrahunt et licentiam audaci-[A 3v:] jamque quiduis fingendi in leuibibus ac petulantibus ingenijs confirmans. Verissimum est enim non de politicis negocijs tantum, sed multo magis de religionibus, quod apud Thucydidem dicitur: Ἐν τῷ διαλλάττοντι γνώμης, διαφοραὶ ἔργων καθίστανται, id est: „Dissidentibus opinionibus et uoluntatibus fiunt opera diuersa.“² 30

¹ II Tim 1,13.

² Thucydides, Historiae III, 10, in: Thucydides historiae, hg. v. Henry Stuart Jones. Bd. 1, Oxford 1955¹³ (SCBO), unpaginierte Edition.